

LIBER CONTRA PRIMATUM

44

ritate Petri jam dudum à Spiritu sancto per electum Christi organum Paulum sit definita, quid necesse est, nos adhuc de ea dubitate?

Caput II.

Hactenus de prima propositione, quod scilicet Petrus non habuerit superalios Apostolos, & super omnes Ecclesias primatum. Iam Deo volente, aliquot rationibus ostendam, quod ut maximè Petrus habuisset primatū, tamen non propterea Papa haberet; nam si I. maximè laus aliqua, & quasi prærogativa Petro Matth. 16 data fuisset, contigisset ei id ob illam eximiam fidem & confessionem, quam ibi Petrus fecit. Quid autē hoc ad impium & impurum Papam? Ego sane non video, quānam ratio consequentiæ sit. Fortassis Petrus Romæ necatus est. Igitur sceleratus quispiam nebulo ibidem suam tyrannidem & turpissimas libidines exercens, est idem, quod Petrus? Ubi obsecro habent Papistæ testimonium veridivini, quod Pontifices erunt idem, quod Petrus?

II. Non constat planè, Petrum fuisse Romæ; nam quod Papistæ scribunt, Petrum Romæ 25. annis docuisse, cum usque ad 18. Ierosolymis docuerit, item in Ponto, ut aliqui tradunt, 5. annis fuerit, & Antiochiæ 7. ad hæc etiam cum Babylonie scripserit suam Epistolam, propalam falsum est; inde enim efficeretur, ut longè ultra Neronis mortem vixisset, à quo tamen intersectus dicitur. Demonstratio item certa est, Petrum Romæ non fuisse, quod Paulus Romam & Româ scribens, ac tam multos mediocres Christianos salutans & nominans, nusquam tamen vel unico verbo Petri tanti Viri mentionem faciat. Verùm accipe, Christiane Frater, authenticam Historiam de Petri primatu, quam latè is Christi ordinatione patuerit, & ubi eum Petrus potissimum exercuerit. Paulus Gal. 2. sic inquit: I. *Nam mihi . qui videbantur esse in precio , nihil contulerunt: imò contrà, cum vidissent mihi concreditum fuisse Evangelium præputii, quemadmodum Petro circumcisionis.* II. *Nam qui efficax fuit in Petro ad Apostolatum circumcisionis , efficax fuit & in me erga Gentes.* III. *Cumque cognovissent gratiam mihi datam, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui videbantur esse columnæ, dextræ dederunt mihi ac Barnabæ societatis, ut nos in Gentes , ipsi vero in circumcisionem Apostolatu fungerentur ; tantum ut pauperum memores essemus. In quo & diligens fui, hoc ipsum facerem.* Hic habes integrum Petri Historiam, à fide digno (ut opinor) Historico descriptam. Primum enim testatur hic Paulus disertè, sibi esse concretum seu demandatum *Apostolatum inter Gentes*; Petro verò *inter circumcisos*, id est, Iudæos. Hic habes ordinationem divinam de Petri primatu, quod sit Apostolus non Gentium, sed Iudæorum. Deinde Narrat Paulus, ubi Petrus ante illud fuis, cuius in recitato Pauli textu fit mentio, id est, ante decimum octavum à Christo passo annum docuerit, nempe *inter Iudæos*, qui tunc nondum ita erant dispersi, præsertim per Occidentales provincias, sicut jam. Nondum enim Hierusalem capta ac destruxta fuerat. Quare necesse est, Petrum præcipue in Iudæa, & circumvicinis Asiaticis regionibus docuisse. Tertiò narrat Paulus, ubi potissimum post hoc tem-

p. 11